VITA

VESPASIANI GONZAGÆ

SABLONETÆ DVCIS &c.

Auctore Alexandro Lisca Iurisconsulto, & Equite patritio Veronensi.



VERONAE,
Apud Hieronymum Discipulum.
MDXCII.

ALL'ILLVSTRISSIMA ET ECCELLENTISSIMA SIGNORA

LA SIG. DONNA ISABELLA GONZAGA PRINCIPESSA DI STIGLIANO, &c.

IL Sign. Gio. Paulo Saibante gentilhuomo Veroneſe molto honorato, & mio cariſſimo amico, mi diſſe già alcuni giorni hauer ordine dal Sereniſſimo Arciduca Ferdinando d'Auſtria, che gli doueſſe mandar la vita dell'Illuſtriſſimo & Eccellentiſs. Signor ſuo Padre, come di Signore degno d'eterna memoria, & mi pregò ch'io voleſſi ſcriuerla in lingua latina, io volontieri tolſi queſto carico, per l'amore & riuerenza ch'io ho ſempre portato ad eſſo Signore, per le virtù ſingolari ſue, da che io fui ſuo Vicario generale nello ſtato ſuo di Lombardia già venticinque anni ſono, & ſapendo l'honorata ſeruitù c'hà fatto molti miei maggiori alla Sereniſs. Caſa Gonzaga, già centinaia d'anni. Hora

la mando a V. Eccell. & si degnerà accettar il buon animo. Non ho voluto trattar della nobiltà & grandezza della Serenifs. Casa Gonzaga, ne stendermi in narrar come sua Eccell. fosse anche Duca di Traietto, Conte di Fondi, Prencipe d'Imperio, gentilhuomo di Seggio di Napoli, Nobile Venetiano, Grande di Spagna; & ch'in Lombardia oltre Sabioneta Città, hauesse Bozolo, Riuaruolo, Rodigo, Comessazzo, & Hostiano, tutte terre importanti, & in Regno, molte Castella, parendomi che queste siano cose notorie al mondo, & doni di fortuna, & non della Virtù, della quale pare che gl'huomini di sano giudicio debban far maggior stima, come solea appunto far sua Eccellenza, la quale non hebbe mai altro fine, che la gloria, figliuola della Virtù. Humilissimamente le faccio riuerēza, & all'Illustrifs. & Eccellentifs. Sig. Prencipe suo consorte & mio Signore singolarissimo.

Di V. Eccellenza

Humilifs. seruo

Alessandro Lisca.

VESPASIANVS Gonzaga, splendidissimis natalibus ortus, parentem habuit Aloisium, qui ob incredibiles corporis vires, Rodomons appellatus, non tàm Martis, quàm Musarũ alumnus, & militaribus viris, & sui sæculi vatibus, miraculo fuit, cum omnes & viribus, & virtute, longe præcelleret. mater Isabella Columna, Vespasiani filia, magni Prosperi neptis, præclara pudicitia, insignis, & in qua facilè priscam Romanorum matronarum animi celsitudinem agnosceres, Eum Fundis peperit, octauo idus Decembris anni M D X X X I. Apud Iuliam Gonzagam, quæ omnes ætatis suæ fœminas corporis pulchritudine supergressa, pudicissimis moribus, cæterisque singularibus animi dotibus formæ gloriam superauit, vsq; ad decimum quartum ætatis annum, admirabili cum disciplina educatus, in Hispaniam missus, inter paruulos, Philippi Regis; qui tunc Princeps

erat,

erat, procceres, maximam futuræ gloriæ indolem præseferens, triennium permansit, in Italiam reuersus, Placentiæ, Dianam Cardonam, Hispanam, summæ nobilitatis, & prædiuitem, Quippe, cui annuus redditus quatuordecim mille aureorum erat, idq; non ex fundis priuatim, sed ex oppidis, quæ in Sicilia pulcherrima possidebat, iure Principis, vxorem duxit, hæc pauco interiecto tempore, absq; sobole obijt, cũ spes esset eam breui, maioribus, diuitijs auctam iri, Ferunt, eam sublatam, quia pudicitiæ parum consuluerit, seu ob Vespasiani suspitionem, nè dedecus domui suæ inferretur, cum vetus illud Cæsaris, crebrò vocibus vsurparet, magni viri vxorem, non solum à crimine, sed etiam à criminis suspitione vacuam esse debere. obitu vxoris, diuitiarum contemptu, decus creuit, Philippum regẽ ad Carolum Quintum patrem anno M D X L I X. in Germaniam vadentem comitatus, apud eum triennium inter Principes mansit, ludicra militaria,

ad

ad hilaritatem Principis edita, summa cum laude, iniit. Eum iam ætate validum, & adipiscendæ gloriæ studio Flagrantem, Carolus Quintus solertissimus militarium virorum æstimator, quadringentis leuis armaturæ equitibus, præfecit, cum rerum summa penes Ferrantem Gonzagam in exercitu esset. in Pedemontana regione, sæpe summæ virtutis specimen edidit, nam & prelio strenuus, & bonus consilio, sæpe Gallorum equitum excursantium turmas disiecit, & maximis periculis obuiam iit, vt militaria munia semper impigrè obeundo, summo duci parendo, breui in eam claritudinem peruenerit, vt omnibus rerum maximarum curis par, et inter magnos Duces haberetur, in consiliumque militarium expeditionum semper adhiberetur, satis constat, eum cum quattuor equitum alis, ad noscenda Gallorum hostium consilia missum, duorum millium peditum Heluetiorũ cohortem obuiam habuisse, ausumque, impenetrabilem cuneum

laces-

lacessere, atq; impellere, ipsumque, ad tertium usq; ordinem equo prouectum, & si ducis ardorem, equites, aut sequi maturassent, aut non deseruissent, eo die præclaræ victoriæ famam consequi potuisse, in alijs leuioribus prælijs, excursionibus, cæterisq; grauioribus belli muneribus, semper & manu strenuus, & consilio solers, habitus, vt non iuuenem præmaturis honoribus elatum, sed prouectioris ætatis ducem, varijs fortunæ casibus iam edoctum, crederes, non inanem gloriolam aucupantem, sed vera, & solidæ virtutis decora, labore, & periculis, sibi comparantem: ferunt, cum inter Imperatoris, et Gallorum Regis, milites, induciæ essent, Ferrantem Gonzagam, Brisacensem summum Gallorum Ducem, conuiuio excepisse, eumque Vespasianum, vt acerrimum martis alumnum, mirificè collaudasse, affirmasseque, si eo die, quo præclarum illud facinus ausus est equites omnes sui vna irrupissent. Heluetiorum aciem dubio procul vincere potuisse, cum pedi-

pedites equitatus impetum sustinere non potuissent: Caterum cũ graui alebardæ ictu eo prælio Vespasianus penè concidisset, ensisq; e manu elapsus esset, à militibus repertũ Brixacẽsis Dux a prandio, summa cum comitate ei dono dedit. omnes ferè asperæ res per Vespasianum in bello agebantur, cum Vulpianum, & ceua, obsidione premerentur, nihilque propius esset, quàm vt ab hostibus caperentur, Vespasianus eas nouo adducto, impositoque præsidio firmauit, seruauitque: Interim cum Ferrantes Gonzaga Mediolani præses prouinciæ decessisset, atq; in eius locum Aluæ Dux suffectus esset, Vespasianus, ei ob bellicam virtutem vehementer carus, consilijs adhibebatur, arcanorum omnium particeps. In Santiana pugna, quamuis parum prospere pugnatum, Vespasiani virtus imprimis enituit, circa munimenta præsertim, & oppugnationes, et Vlpiani obsessis subueniendo, quod ei munus vti sæpe fœliciter experto, semper iniungebatur, & cum

B fru-

frustra inceptum, Alua Dux, fermè pro comperto haberet, inde discessit, relicto Vespasiano cum post Signanis, vt Gallorum audatiam compesceret, qui postrema exercitus, crebris excursionibus infestabant. Inde apud Pōtem, quem Asturam vocant, cum vniuersus exercitus consedisset, Vespasiani iuditio, ac cura, castra posita, munitaq;. Demum Alua Dux relictis Pedemontanis, Mediolanēsibusq; rebus, Neapolim proficiscitur, vt bellum contra Paulum Quartum Pontificem pararet, Italo peditatui Vespasianum praeposuit, belliq; illius consultorem elegit. qui ad expugnandum oppidum Bacconum loci asperitate, & armis, & viris munitum profectus, breui voto potitus, compulsis ad deditionem Pontificis militibus, qui sexcēti erant: quos omnes Pallianum misit, laetus felici rerum euentu dux, Vespasianum ad oppugnandum Anagniam mittit. Cui praeerat Torquatus comes, Romanus, vir industrius, domi, militiaq; clarus. Ceterum

audito

audito Vespasiani aduentu, cognita viri virtute, cum audisset tormenta maiora militaria, machinis in altum sublata, & altißimis montibus super imposita, quod non nisi summo labore, & pertinaci studio potuit expediri, rei miraculo motus, cum mœnia iã diruta, patefactaq; via esset, per vim oppidi potiundi, clam noctu, cum militibus, & oppidanis ferè omnibus, profugit, vacuo fermè oppido relicto; Pallianumq; se recepit: quod cum ignoraretur, primus in Vrbem Vespasianus eadem nocte ingressus est, sequente exercitu, ignibusq; in plerisq; vrbis regionibus immissis, magna vrbis pars incendio conflagrauit; imposito post præsidio, Vespasianus in Vallem Montoni cum equitibus trecentis, et tribus millibus peditum transit, nè, exercitus metu, Palliani præsidium, eruptionem faceret, & vt tuta omnia exercitus Hispanorum essent, damnaq; hostium arcerentur, multa tamen leuia prælia commissa sunt; in quibus Vespasianus & labore,

& militari audacia, & consilij gloria semper ante omnes ijt. Inde Vicouarum profectus, cum bellicis rebus summa cum potestate praeesset, solo nomine, oppidanos ad deditionem compulit, cum pauerent nè paternae memor necis, qui olim cum Clemētis Septimi Pont. Max supremus armorum Dux esset, ictu pilae, proh dolor, tormento militari excussae, sub illis moenibus extinctus est, omnia, igne, luctu, ac cede compleret: quaedam oppidula ad duodecimum ab vrbe lapidem, facilè coepit, diripere noluit, amicitiae principum id tribuens. postremo ad hostiam capiendam iter arripit: iniecto Tiberi ponte, vrbem coepit, arcem per aliquot dies oppugnauit, exercitum Pontificis, qui in altera fluminis ripa consederat, transitu fluminis prohibuit. in arcis oppugnatione cum inter primos sub moenibus esset, vulnus excepit nasum inter, et labrum superius, nulla tamen oris deformitas sequuta est, ob miram medici industriam, quin augebat nobilis cicatrix, oris

 digni-

dignitatem, Nolam deinde breui, nouo opere munijt, vt aduersus oppugnationem iusti exercitus satis tuta videretur. Citadellæ, quæ a Ghisiorum Duce Gallo obsidebatur, vna cum Aluæ Duce subsidium adduxit, cumq; Gallus bis copias eduxisset, seque ad pugnam paratum ostendisset, Vespasianus, penes quem totius belli administratio erat, non detrectauit certamen, depressaq; est Galli audatia, qui pedem referre non erubuit, ratus id, quod erat, si Vespasianum lacesseret, haud impunè laturum, & sibi non cum phrige aliquo semiuiro, sed cum fortissimo & acerrimo belli Duce esse decertandum, exinde sequuta pax cum Pontifice. Vespasianus statim ad Hispanorum Regem in belgis agentem se contulit. qui eum coram compluribus militaribus viris, ob res præclarè gestas, mirum in modum collaudauit, asserens eius virtute hostiam captam, eumq; peditibus Lombardiæ et Pedemontanæ regionis præfecit, stipendiumq; annuum mille

quin-

quingentorum aureorum constituit. Diplomaque annuæ istius pensionis obtinuit, quod ad eum vsque diem calliditate ministrorum, qui ab epistolis erant, dilatum erat, licet ipse munia militaria acriter et hilari animo exequeretur. Cum Fernandus Consaluus Sessæ Dux, prouinciam Mediolanum sortitus esset, In Italiamq; proficisceretur, Comitem habuit Vespasianum, cuius consilium cum maxima res agerentur, iussu Regis, perscrutari consueuit. Mediolani tum sæpè degebat, ob suspitionem Gallici tumultus. Finito bello, cum arma Gallorum atque Hispanorum quiescerent, domi se continuit, otio tamen torpescere, celsi animi vir, haud quaquam potuit, Vrbem Sablonetam condidit, inter Brixiensem, Cremonensemq; & Mantuanum agrum, sitam. Fossa, mœnibus, pulcherrimis, munitissimisq;, mira arte, circundedit. arcem, vias, templa, domos, priuatorum, ædes publicas, edificauit, et marmore, et vetustissimis signis ornauit, ea cura, et arte

licet

licet breui temporis inter capedine, vt opus pulcherrimum & munitißimum visendum & admirandum omnes prædicent, nec facilè inter Lombardiæ vrbes, atq; oppida, quicquàm munitius inuenies: anno M D LXIIII. in Hispaniam profectus vxorem duxit Annam Aragoniam Alphonsi Suburbij Ducis filiam, Philippo Regi sanguine proximam. ex ea suscepit Aloisium mira pulchritudine puerum, quem cum iam duodecimum annum ageret amisit. & Isabellam nunc Stiliani Principis vxorem, dignam magno patre, atq; auo, quæ & matri, atq; auiæ, haud dißimilis, sed virtutum & earum gloriæ æmula fælix M D LXVII. cum inter Casalenses, Montiferrati Ducis Mantuæ subditos, orta penè esset seditio, & à quibusdam quies publica maximopere turbaretur, rogatu Ducis, Vespasianus ad res componendas profectus, breui omnia sedauit, composuitq; visoq; paucorum seditiosorum supplitio, parere Ciuitas didicit,

cit,

cit, nec vltra quicquàm mouere ausa. M D LXVIII. in Hispaniam rediјt, quietis impatiens, & gloria supra quam dici poßit, appetens, vitamque sibi, ingens animus, accerbam existimans, si ea pro Philippi Regis gloria, et commodis, non vteretur. Rex eum libentißime vidit, atq; hilari animo excepit. Confestim excitato Maurorum in Hispania tumultu, cum ad muniendam Cartaginem nouam, reficiendosque muros vetustate collapsos, cum magno Hispanorum comitatu misit, qui quattuor mensium spatio eā munitissimam, vnà cum eius portu reddidit. Euocatus a Rege, prorex & summus armorum Dux Regni Nauarræ declaratur additur etiam armorum administratio prouintiæ Guipußa, in qua Fonterabiam, & sancti Sebastianum oppida in ripa Oceani sita munitiora effecit. Arcem Populoniæ inexpugnabilem condidit. post, Goletta in Africa ab hostibus capta, commotus Rex, & tanta oppidi, fama, & omnium ferè

mor-

mortalium opinione inexpugnabilis, ruina admonitus, Vespasianum eo adlegat, summamq; potestatem ei tribuit, vt edificare, & diruere posset omnia, quæ vellet regiæ ditioni in Aphrica subiecta, vt ea, quæ ei opportuniora viderentur, quàm tutissima aduersus Turcarum oppugnationes redderentur, quod breui summa cum laude præstitit, & Regi gratissimum fuit. Inde, iussu Regis accitus, ad muniendas vrbes, atq; oppida, ad limites Hispaniæ posita, instruendaque omnia, quæ in rem ipsius Regis essent, se contulit. breuique quod iussum erat, effecit. Penisiolam, seu Peninsulam fossa & muro cinxit. qua nil munitius in vniuersa Hispania conspici potest. prorex deinde, et summus armorum Dux Regni Valentiæ constituitur. vbi omnia summa integritate, sancteq; egit. Demum ob aduersam valetudinem, in Italiam inuitus rediit. nec tamen otio torpere in animo fuit, ad ornandam Sabloneta Ciuitatem; omniaq; suæ ditionis loca

 ani-

animum appulit, crebro dicere solitus erat, Spartam nactus sum, hanc orno. Castrum Bozuli, Turrim conspicuam Commessatij in miram altitudinem, reticulato muro extruxit. Tormenta maiora militaria complura, eademq; pulcherrima fusili ære fabrefecit, Viridaria, fontes, paruas ædes, amplasq; animalium ferorum, cicurumq; septa, Turres, templa, multaq; alia magno Principe digna, mortalibus viscenda, admirandaq; posuit, edificauit, extruxit, ornauit, omnia, cum Vespasianus adesset, operibus, & mangonum vocibus, strepere audires. Hæ Principis delitiæ, ijs oblectabatur. M D L X X X I I. cum Aula virilis sexus herede vacua esset, tertiam Duxit vxorem Margaretam Gonzagam Cæsaris filiam, magni Ferrantis neptem, fœminam lectissimam, & singulari prudentia, & virtute ornatam, statuta dote quinquaginta millium aureorum. Mox Isabellam filiam, cuius supra mentio fuit, et in cuius moribus paternum

ma-

maternumq; imprimis decus enitet, atq; elucet. Stiliani Principi, nuptui dedit, omnium Neapolitanorum Principum ditissimo, & totius Neapolitani Regni loca longè pulcherrima poßidenti, quod lætißimum Vespasiano fuit, cum ob nobilitatem, tum vero ob virtutem, & suauißimos tanti generi mores; Ad tam grande gaudium acceßit Philippi Regis benignitas, qui vt grati, atq; excelsi animi vices exolueret, Vespasianum Sabloneta Ducem, ob res ab eo præclarè pro se gestas, cumulum dignitatis addendo, inter velleris aurei sodales adscripsit, quod non nisi summis viris, & natalibus, & singulari virtute præstantibus, Argonautarum ferè exemplo, tribuitur, insigniaque de more ad eum misit. Mox Venetias vrbem admirandam, miraculum penè orbis terrarum, ob hilaritatem aliquã inter tot curas, & post tot exantlatos labores, saltem degustandam proficiscitur, et nè illius reip. nobilitatis decus, maiorum virtute, & dignitate partum, vetustate

atq; in curia aut ademptum, aut aliqua ex parte corruptum, esse videretur, benignè exceptus, ferturq;, curam, et administrationem, armorum reip. quæ patria, aut patriæ loco ei erat, fuisse suscepturũ, ni obsequium Regis potius fuisset. M D LXXXVIII. *iussu Regis Pragam contendit, vt Cæsari in consilio adesset, cum liberatio Maximiliani Regis ageretur, et si ita res posceret, et bello esset decertandum, ipse, bellicis rebus summa cum potestate, præficeretur, agnouit viri virtutem Cæsar, magnificèq; collaudauit, cum magna munera esset ei elargitus. Quieuit tandem inter Columnenses et Sabloneta Ducem, vetus dissidium, pactus est summam, aureorum quinquaginta millium, eaq; Dux contentus, & sic, & decus quod semper acriter tueri solebat, retinuit, & magnorum affinium repetita amicitia; parentem auum, proauum, & reliquos maiores vsq; ad decimum, continuata serie, omnes summos armorum duces, mira arte, ad veram effigiem exculptos, equis insiden-*

ſidentes, præ occulis in atrio habere voluit, opinor vt gloriæ faces aſſiduæ flagranti animo admouerentur, nec quieſcere umquam ſinerent; fuit proceræ ſtaturæ, colore candido, oculis cœruleis, artus erant graciles, & teretes; collum oblongum, vſus tamen effecerat, vt omnes militiæ labores facilè ferre poſſet, frigoris, atque æſtus æquè patiens, nemo vmquam eum audiuit conquerentem, quòd calore, aut algore nimio afflictaretur; ſæpè viſus in ſole ſtans per tres & quattuor amplius horas, cũ Sirius arderet, ſæpè hieme horrida ſub dio, ſine pellibus, indutus veſtibus, quibus alij æſtate vti ſolẽt. Cibo, ſi vſus eſſet, militari contentus, veſtitu parum à priuatis differebat; pauci ſomni, abſtemius, magna oris dignitas, & quem ſi liceret intueri, confeſtim aut amares, aut timeres; voce ſonora, atq; alta, pronuntiabat, nullum vmquam verbum etiam irato excidit, cuius pœnituerit, mirum dictũ, attamen verum, nihil vnquã humile cogitauit, Cæſar, Carolus Quintus, & alij huiuſce ordinis viri ſemper in ore, militari-

bus viris egregijs, & litteratis magni nominis, quibus plurimum delectabatur ſemper referta domus, ſplendor deniq; in priuatis, in publicis magnificentia, Germanos viginti quattuor cuſtodes corporis habebat, & centum quinquaginta equites, qui tormentis militaribus, Hiſpano more, vtebantur, centum inſuper leuis armaturæ equites, & tria millia delectorum peditum armatorum, prætioſam ac penè regiam ſuppellectilem, argenti cælati, quantū magni Principis decus expoſcere videretur, fuit in eo militaris facundia, ſi de caſtrametatione, de oppugnandis, & defendendis, muniendiſq; oppidis, aut vrbibus, de conſerenda pugna, aut de quapia alia re militari, verba faceret, omnes ab ore pendebant. memoria incredibilis, ſententias grauiorum auctorum iiſdem ſæpe uerbis referebat, quibus ſcriptæ erant. religionem Catholicam ſanctiſsime coluit, egenis ſemper largè ſubuenit, iuſtus ſemper Iudex, iuſtorumque amator. Febri tandem correptus Sablo-

neta